8364. cc

ORATIO

IN

Theatro Sheldoniano

Habita Idibus *Aprilis*, MDCCXLIX.

Die DEDICATIONIS

BIBLIOTHECÆ *RADCLIVIANÆ*.

A GUILIELMO LEWIS M. D.
Ædis Christi Alumno.

OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO,
Impensis JACOBI FLETCHER, Bibliopol. OXON.
MDCCXLIX.

Imprimatur,

J. PURNELL,

Vice-Can. *Oxon.*

Maii 1. 1749.

NOBILISSIMIS & ILLUSTRISSIMIS

VIRIS,

CAROLO Duci de *Beaufort*,

EDVARDO Comiti de *Oxford* & *Mortimer*,

GUALTERO WAGSTAFF BAGOT *Baronetto*,

WATKIN WILLIAMS WYNN *Baronetto*,

EDVARDO SMYTH *Armigero*,

JOHANNIS RADCLIVII M. D.

Teſtamenti Curatoribus;

Hanc ORATIONEM

Eâ, quâ par eſt, Obſervantiâ,

D. D.

Guilielmus Lewis.

ORATIO

Habita in THEATRO, &c.

SI quid unquam, *Academici*, de literis, de fortunis noſtris gloriari nobis licuerit; ſi quid unquam reipublicæ noſtræ felix fauſtumque acciderit; ſolennem hujuſce diei celebritatem maximis certè noſtris gratulationibus fas erit longiſſimè anteponere. Nunquam enim liberiùs, nunquam animo magis alacri, nunquam altiori voce

felicitatem noſtram poſſumus prædicare, quàm ubi magni illius viri, ad cujus præconia confluxit celeberrimus hic illuſtrium virorum cœtus, benignitatem erga nos, amorem, munificentiam commemoramus. Quin & imprimis mihi gratulandum jure eſſe exiſtimo, quòd, apud ampliſſimum hunc conſeſſum dicturo, ea oblata ſit materies, quæ cum per univerſam hanc *Academiam* novum lætitiæ lumen diffundit, tum ad medicam artem profitentes, ad ipſam medicinam, plurimum affert dignitatis & ſplendoris.

Quamvis autem inſolitus hic dicendi locus, & auguſtiſſima ex omni liberalium

lium ordine frequentia timorem aliquem mihi poſſent incutere; cùm tamen in illuſtriſſimos illos viros oculos conjicio, qui famæ noſtræ ac gloriæ nondum ſe ſatis conſuluiſſe rati ſunt, niſi hodiernam hanc ſolennitatem præſentiâ ſuâ honeſtarent; animoſior illicò factus ſum, & quaſi ſtimulos quoſdam mihi ſubditos ſentio, ad exprimendam divinam illam, quam in animo jam diu inſculptam habui, *Radclivii* imaginem.

MAGNO nomini aſſurgimus omnes, & benefactorem noſtrum veneramur. Quantum enim ampliſſimis, quantum etiam regiis ſuis fundatoribus; tantum clariſſimo huic viro, huic medicorum

principi, debet, & in æternum eſt debitura, gratiſſima hæc *Academia.*

Ut enim pio & ſingulari quodam in almam ſuam matrem amore erat affectus, ita per totum vitæ auſpicatiſſimæ curſum, nullum unquam, quo vel famam vel dignitatem ejus excolere poſſet, atque augere, ſtudium omittebat. Quicquid enim illi apud principes ubique viros erat gratiæ, quicquid favoris, quicquid etiam amicitiæ, id omne ad nos transferebat; quin & eò uſque proceſſit effuſa illius benevolentia, ut immenſos eos divitiarum cumulos, quos in feliciſſimâ medicæ artis exercitatione guttatim undique collegerat, in *Athe-*

nas noſtras pleno imbre demitteret. Nolebat enim vir ille humaniſſimus fortunas ſuas privatis tantùm utilitatibus inſervire; nolebat liberalitatis ſuæ fontem, propinquorum gratiâ, clauſum fore aliquando atque obſtructum; ſed, ut omnibus prodeſſet, ut toti humano generi latices præberet, ad nos & poſteros noſtros manare, atque affatim defluere jubebat.

Ex variâ autem & multiplici *Radclivii* noſtri munificentiâ, nihil certe priùs poſtulant auguſtiſſimi illius manes, nihil avidiſſima jam omnium expectatio magis efflagitat, quàm ut ſtupendam hanc ſub veſtris, viri honoratiſſimi, auſpiciis,

nobis

nobis jam tandem & univerſo literato orbi patefactam, *Bibliothecam* celebremus. Divinum ſane opus! Cujus eximiam pulchritudinem, magnificentiam, ſtabilitatem, æquè ac fundatoris ſui gloriam, in perpetuum duraturam, non poſſumus ſine ſummâ admiratione contemplari. Quantum ſibi gratularetur *Bodleius*, quantum ille, in cujus ædem ſplendidiſſimam hodiè jam convenimus, *Sheldonus* noſter, ſi novum hoc literarum domicilium poſſent intueri. Quo gaudio, quâ animi lætitiâ perfunderentur venerabiles illi ſenes, ſi poſt tot annos aliud tandem ſenſiſſent, ſuâ famâ gloriâque accenſum, ad muſarum hanc ſedem illuſtrandam, lumen excitari.

SED

SED ad generoſum *Radclivii* pectus inflammandum, non opus erat his tantis anteceſſorum ſuorum incitamentis: ſatis illi fuiſſet inſita iſta & propria animi magnitudo, cujus vi atque impulſu cuncta ſua conſilia atque opera conſtanter dirigebat. Hinc illa omnis in nos beneficentia; hinc illa in cœlum uſque aſſurgens moles: quam, velut ingenii ſui ſimulachrum quoddam, ſplendidam, illuſtrem, omni ex parte perfectam atque abſolutam, nobis reliquit, in uberius rei literariæ ſubſidium, & perpetuum artis medicæ ornamentum.

ARTIS autem medicæ ornamentum erit perpetuum, ipſum *Radclivii* nomen,

nomen, quod vigebit memoriâ ſæculorum omnium, quod ætas remotiſſima ſemper intuebitur. Erat, *Academici*, vir ille præſtantiſſimus, ex univerſis hominum ſententiis, artis ſuæ peritiâ adeò clarus & inſignis, ut cæteris omnibus palmam facilè præripuerit; utcunque enim de illuſtri in re medicâ victoriâ, alii inter ſe acriter certabant, illi uni nemo lites movebat; ſatis ſibi quiſque gloriæ fore exiſtimabat, ſi in ſecundis poſſet conſiſtere, cùm ad illum primas ſinguli ultro deferebant. Erat enim ille eximiis iis & perquàm raris ingenii dotibus inſtructus, ut naturâ ipſâ ad medendum paratiſſimus eſſe videretur. Erat animo acri, acuto, perſpicaci

caci præditus, qui in intima humani corporis penetralia introſpicere; latentium morborum ſedes perſcrutari; cauſas illorum eruere; veras denique & proprias ſingulorum notas mirâ ſagacitate accuratè poterat internoſcere. Quo igitur quiſque ordine curſum ſuum ingreſſurus eſſet, qui proceſſus, quique exitus futurus, tanquam è ſpeculâ proſpiciens, pretioſiſſimæ mortalium ſaluti ſedulò invigilabat. Nunquam enim ab hoſte falli, nunquam incautum ſeſe opprimi patiebatur: ſed in omnia promptus & paratus, prout variæ miſerorum neceſſitudines poſtulabant, diverſa ſua præſidia feliciſſimè dirigebat. Et, ut optimè expertus fuerat, quantum vel

proprio ſuo marte ipſa valeret natura, ita illam in omnibus ſemper ducem ſequi; illam intueri; incitatam nimis reprimere; jacentem erigere; ſalutares illius motus officioſâ ſedulitate nunquam impedire, ſed ad eos adjuvandos totum animum, totam artis ſuæ vim intendere ſolebat. Neque, uti plerumque fit, ſumptuoſâ quâdam medicaminum farragine nauſeantes ægrorum ſtomachos peſſimè onerabat: ſed, ut in conſiliis fidus, in judiciis certus, ita in remediis ſimplex erat & concinnus; in id ſcilicet ſtrenuè uſque incumbens, ut non *tutò*, non *citò* ſolùm, ſed *jucundè* etiam cunctis ſalutem daret.

ILLUM igitur anxii quærebant omnes; in illo omnium ſpes; illum veluti numen quoddam, à cujus ore fata ſua pendebant, omnes intuebantur. Quin & in hodiernâ hâc frequentiâ plurimi ſint fortaſſe, qui divinâ illius operâ etiamnum vivunt. Vereor equidem illorum auribus injuriam me multam attuliſſe, quòd rudiori calamo *Æſculapii* ſui laudes adumbrare conatus ſim. O ſi ille adeſſet, quem ad eundem medicinæ apicem evectum hæc jactat *Academia*, & diu jactet; qui illuſtriſſimi hujus viri non conſpectu ſolùm, ſed quotidiano ferè congreſſu, ſed mutuo, ſed familiariſſimo ſæpè colloquio fruebatur: ille, ut intimum noſtri mecænatis

Frewen. M.D.

pectus penitùs cognoverat, ita veriſſimam ejus imaginem vobis poſſet ante oculos collocare. In hâc unicâ tamen re minùs foret idoneus; ita enim eadem ipſi eſt & artis ſcientia & nominis celebritas, ut, ſi vivis coloribus illius virtutes vellet deſcribere, non poſſet quin pingeret ſuas.

Nos autem, qui à *Radclivii* ſplendore remotiſſimi, in umbrâ quaſi ſumus, ad eximia ejus merita, quæ fando ſolùm accepimus, non poſſumus pro dignitate dicendo ſatis aſſurgere: quâ igitur ratione, cùm verbis ea prædicare non poſſumus, factis unquam attingere licebit? imitari tamen licebit; ſequi illum, quan-

quam

quam longo ſequi intervallo, non erit inglorium.

En! ſignum nobis bene ſperandi ſublatum! En! maxima in omne ævum rem medicam exercentibus porrecta præmia! non enim familiam ſuam deſeruit medicinæ parens, ſed ipſe heu! mortalis artem ſuam diuturnam reddidit, & quà licuit, immortalem. Quid enim illuſtrius, quid nomine ſuo dignius, quid ad ornandam illam, cujus ipſe princeps erat, ſcientiam utilius, vel fingi, vel excogitari potuit, quàm ampliſſimum illud & verè regium, quod filiis ſuis medicis hæreditario quaſi jure reliquit, patrimonium. Novit enim vir

ille

ille ſagaciſſimus quàm aſpera quámque difficilis medentibus eſſet calcanda via; quæ niſi timidis juniorum animis ſtrata quodammodo foret & munita, vel artis honos langueſceret, vel ad eam probè & honeſtè exercendam apta defutura eſſent ſubſidia: novit prætereà, imò experientiâ ſuâ magiſtrâ optimè novit, quòd, ſi quis è medicorum grege elevari unquam, & in optimo Deæ ſalutis templo eminentiæ aliquid ſperare audeat; eum non in arctis *Academiæ* finibus includi ſemper; non domi ſe quotidiè continentem, immani quâdam & ſupervacaneâ librorum copiâ obrui; ſed libero & erecto eſſe animo; ſed ingenio culto diu atque exercitato eſſe oporteat:

teat: ut non vanâ opinione, non levi & futili conjecturâ, ſed certâ, ſed indubitatâ experientiæ fide medici nomen mereri diſceret.

Ex hâc igitur umbratili vitâ in pulverem atque ſolem filios ſuos evocari juſſit; maximo rerum uſu, & diverſorum hominum notitiâ inſtruxit; ut animi illorum jam ſenſim dilatati, ea tandem poſſent fovere ſemina, quæ ad uberrimum medicinæ fructum, ad ſalutem humani generis aliquando redundarent. Intueri igitur liceat illos, quibus hoc gloriæ iter auſpicari feliciter contigerit, ad omnem ſcientiæ oram delatos, quicquid ad artem ſuam ampliandam

ſciri

ſciri diſcive poteſt, id domi, foris, à ſuis, ab exteris carpentes undique & colligentes; & tandem poſt varias terras & longè diſſitas regiones curiosè & ſolicitè luſtratas, copias ſuas, fluviorum inſtar, in patriam, veluti oceanum, cumulatiùs refundentes.

At te, vir beatiſſime, ob ingentia hæc in nos collata beneficia, quibus laudibus efferemus? quo amore complectemur? quibus ſtudiis proſequemur? parietes hi, ut mihi videntur, tibi gratias agere geſtiunt: univerſa hæc *Academia*, tui cauſâ jam undique congregata, te patronum, te optimum ſuum mecænatem uno ore agnoſcit & confitetur. Vehementiori

hementiori tamen præ cæteris gaudio exultat medicorum chorus omnis, ob ſplendidum hoc à te relictum patrimonium, nominis ſcilicet tui gloriam, atque artis ſuæ dignitatem.

DIGNITATEM igitur hanc, vos medicæ ſcientiæ profeſſores appello, tanquam Palladium ad nos cœlitùs delapſum, ne unquam violare audeamus; ſed puram atque integram ultimis nepotibus fideliter tranſmittamus. Ad clariſſimi illius viri imaginem, cujus auſpiciis jam utimur, intenti uſque ſuſpiciamus; & nihil exiſtimatione noſtrâ indignum, nihil illiberale, nihil ſordidum, nihil gratiæ quorundam captandæ

cauſâ ſubdolum & aſtutum, vel noſmet faciamus, vel ab aliis factum patiamur.

IGNOSCITE, oro, auditores illuſtriſſimi, ſi argumenti hujuſce vi abrepta, de curſu ſuo deſtinato longiùs fuerit evagata hæc noſtra oratio. Vela jam lubenter contraho; &, quod exigit officii mei ratio, celeberrimæ huic *Bibliothecæ*, quæ cæteris *Radclivii* beneficiis cumulus acceſſit, gloriam & decus voveo ſempiternum. Neque hanc diu ſinet, quamvis ſplendidè & magnificè exſtructam, literarum tamen adminiculis deſtitutam, nudam quaſi & inermem ſtare fundator ſuus munificentiſſimus: ſed, ut fœcundam ſemper omnigenæ doctri-

næ præberet ſegetem, & ipſe annuis eam nummorum proventibus ditavit, & plurimos erga illam, ni vanus auguror, mecænates exemplo ſuo incenſos quotannis excitabit.

VIDERE enim videor in ædem hanc, tanquam *Æſculapii* templum, pretioſiſſimam undique transferri librorum ſupellectilem: omnes omnium gentium viri eruditiſſimi intra hæc mœnia dona ſua gratulabundi mox deponent: quin poſteri etiam, uti confidentiùs ſperare audeo, quicquid elegantioris doctrinæ habeant, quicquid in ſcientiis reconditum, læti huc, velut in commune quoddam literarum domicilium, certatim conferent.

HAUD parùm igitur nobis erubeſcendum erit, *Academici*, ſi templo huic immortali aliquam dedecoris notam culpâ noſtrâ affigi patiamur: quin potiùs, ut recenti quotidiè ſplendore eniteſcat, ſummâ ope nitamur. Hodierna hæc celebritas, quæ novam & inopinam quandam lucem reipublicæ noſtræ affudit, novos etiam animis noſtris ſtimulos ſubjiciat; erigat nos pulcherrimi hujus ædificii, quod muſis jam fauſtè & feliciter dicamus, contemplatio; incendat *Radclivii* noſtri gloria; ſin fortiora adhuc ad rectè ſentiendum, ad præclarè agendum nobis defuerint incitamenta, in viros illos præclariſſimos, quos præſentes jam intuemur, oculos animoſque

convertamus: qui nec celſiſſimæ generis ſui nobilitati, neque nominis ſplendori injurium fore exiſtimant, ſi in *Togatorum* turbam dignentur deſcendere, & lucem ſuam *Academiæ* umbrâ obſcurari patiantur.

Liceat igitur tandem, viri plurimùm colendi, egregia illa, quæ à vobis accepimus, beneficia coram ampliſſimâ hâc literati orbis frequentiâ, palam profiteri. Liceat tandem vobis, pro acerrimis iis atque iteratis ſtudiis, quibus res noſtras ſedulò procurâſtis, publicas has & ſolennes referre gratias; quæ quamvis tantæ eſſe nequeant, quantæ veſtris debentur meritis; habendæ ſunt

eæ

eæ tamen, quas animi noſtri capere poſſunt maximas. Veſtris enim indefeſſis laboribus liberaliſſimum fundatoris noſtri munus quodammodo liceat acceptum referre. Veſtris nimirum curis, veſtræ prudentiſſimæ adminiſtrationi, ingens hoc opus, eximiâ non minùs arte, quàm magnitudine conſpicuum, tam citò, tam feliciter jam ad exitum perductum, in totùm eſſe tribuendum univerſi cenſemus. Hæccine unquam oblivione obrui? Hæccine animis noſtris elabi poſſunt? Imò quamdiu literis juſtus manebit honos; quamdiu muſis & muſarum fautoribus priſca ſua conſtabit gloria; tamdiu cunctis innoteſcet, quantum famæ, dignitatis, amplitudinis veſtro

ſtro patrocinio atque amicitiæ debemus. Jucundiſſimum etiam erit, hodiernam hanc in nos collatam gratiam per univerſum orbem ſcriptis propagare; ut, ubicunque annales noſtri legentur, ibidem poſſit, veſtri erga rempublicam noſtram favoris atque indulgentiæ, perpetuum aliquod monumentum extare.

INSIGNIS igitur illa benevolentia, ſtudium, præſidium, quibus nos, noſtraſque *Athenas* amplecti diu & ſuſtinere non eſtis dedignati, eadem uſque apud vos maneant, & ad illuſtriſſimas veſtras familias, quas bono omine ad vota preceſque omnium nuperrimè jam auctas gratulamur, perpetim deſcendant.

IN

In æternum ſic durabit *Academiæ* noſtræ fama ſtabilis atque inconcuſſa; nec, niſi cum *Radclivii* gloriâ, cum immenſâ hujus *Bibliothecæ* mole, unquam peritura.

FINIS.

ERRATUM.

Pag. 20. lin. 4. pro *patiamur* lege *ſinamus*.

BRITISH MUSEUM 23 0672